

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

XXXVII. Dementiae reus à tribus filiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**

## X X X V I L

*Dementiæ reus à tribus filiis.*

Ex tribus filiis duo patrem dementiæ accusaverunt: & superati secundum legem puniti sunt. Tertius instituit accusare. Reddit pater causam mortis voluntariae. Filius contradicit.

## P R O P A T R E.

**Q**uid? tam potest esse adversum me jus? hic ab eo mors impeditur, cuius in altero judicio vita reprehenditur? In illis, P. C. judiciis gravior mihi fuit vindicta, quam poena. Mors à vobis dabatur, sive dementi remedium, sive sapienti solatum. Natura mihi tres liberos dedit: fortunaque duos sustulit: videturne vobis justa causa esse moriendi? imo jam sera.

## X X X V I I I.

*Fortis viri filius tyranno deditus.*

Absentis viri fortis filium tyrannus petit sibi dedi, denuncians bellum. Accepit. <sup>2</sup> Regresso eo suadetur bellum tyranno indici. vir fortis contradicit.

## P R O F O R T I.

**P**rofiteor me filium nec desiderare, nec habere. Nescio, <sup>1</sup> an hoc bellum fuerit in tempore suo justum, nunc certe coepit esse jam serum. At enim filius viri fortis est. quid? <sup>3</sup> hoc non erat, cum dabatur? O fili! si tamen hoc nomen, quod natura dedit, fortuna non abstulit, agnosce te filium viri fortis. Vince feliciter, id est, peri fortiter. Hæc est enim jam tua sola victoria.

## X X X I X.

<sup>1</sup> Quid? tam potest esse adversum me jus? ] Fortasse: Quid tam potest esse adversum? Ejus hoc ab eo mors impeditur, cuius in altero judicio vita reprehenditur. Suam ipsius intelligit à filio. Alterum judicium dementit est. Gronov.

<sup>2</sup> Regresso eo suadetur bellum.] Lege: Egresso. nempe ex urbe, quem petebat tyrannus. Idem.

<sup>3</sup> Hoc non erat, cum dabatur.] Forte, dedebatur. Idem.